



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 3. Comparatione quadam Lucretiana vsus etiam Themistius  
ostenditur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

*Axiomata quomodo Latine vocanda sint.*

CAPV<sup>VS</sup> II.

**I**NEPTE faciunt, qui ἀξιόματα dignitates vocant. cuius prauæ consuetudinis Hermolaus Barbarus auctor fuit. neque nego ἀξίωμα interdum idem valere, quod dignitatem; sed nihil hoc ad ea, de quibus agimus, axiomata. neque minus ineptiunt, qui proloquia vocant, aut pronuntiata: in quorum tamen posteriorum Ciceronem se habere auctorem putant. sed falluntur. Nam Cicero hanc vocem, ita vt à Stoicis accipiebatur, interpretatus est: qui axioma vocabant quamlibet enuntiationem, id est πρόφανση. id quod Laërtius docet. ac si quis eo modo ἀξίωμα accipiat, tum sanè vel pronuntiatum, vel, si volet, proloquium dicat. Apud Aristotelem quædam & mathematicos alia huius vocabuli vis est. qui, vt notum est, axiomata vocant communes quasdam sententias, quæ non tantum verae sunt, sed etiam veræ omnibus videntur. Verbum autem ἀξίον, sæpè apud Græcos, sine vlla dignitatis aut indignitatis significatione, idem valet, quod existimare ac sentire. Inde igitur ἀξιόματα, ὅτι πάντες ὄντες ἀξίονσιν. vnde & κοινὰ ἔννοιαι vocantur. Aut igitur vocem Græcam retinuerim, aut sententias potius, quàm vel pronuntiata, vel proloquia, vel dignitates dixerim.

*Comparatione quadam Lucretiana vsus etiam Theophrastus ostenditur.* CAP. III.

**N**OTA est comparatio, qua vsus est Lucretius, cum se idem facere dixit, quod medicos: qui amatam aliquam portionem pueris dare cupientes,

— prius oras pocula circum  
Contingunt dulci mellis flauoq; liquore.

videtur

videtur autem ea fuisse etiam apud Græcos celebris. Themistius quidem certè ea vitur: quem verisimile est eam ex aliquo vetustiore sumpsisse. Nam in oratione, qua Nicomedenses ad philosophiam exhortatus est: Imitandi sunt, inquit, nobis sapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ amariora sunt, circumlito prius melle poculo, bibenda præbent. *μιμνέον ἡμῖν τὰς σοφώτερας τῆς ἰατρῶν, οἱ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων, μέλιτι ἔκλυον περιχέοντες, πίνειν δὲ δόσι.*

*Vi multis alias diphthongos, quæ nunc vsurpari desierunt, ius oi pro æ; apud veteres fuisse. emendatus Plauti locus.*

CAPVT IIII.

**M**VLTIS vsos diphthongis veteres, præter eas, quibus hodie vîmur, constat. nam & Fourios dicebant pro Furiis, & Paitos ac Aimilios pro Patis & Amiliis, & de Sabineis triumphasse Tarquinium, de Etrusceis Ser. Tullium, in veteribus monumentis legimus. Quinetiam vt ai pro æ, sic oi pro æ interdum scribere, vt opinor, solebant. itaque apud Plautum in Menæchmis *proilium*, & *proilio*, in veteribus libris scriptum animaduerti, pro eo, quod nunc prælium, & prælio scriberemus. Versus hi sunt, quibus Erotij meretricis cum parasito Peniculo, & cum Menæchmorum fratrum altero colloquium quoddam continetur.

*E R. Anime mi Menæchme salue. P E. quid ego? E R. extra numerum es mihi.*

*P E. Istud idem aliis ascriptiuus fieri ad legionem solet.*

*M E. Ego istic mihi hodie apparari iussi apud te proilium,*

*Hodie vt fiet. in eo vterque prouiso potabimus.*

*hoc qui non intellexerant, priore loco discesserunt à vetere*

Meretrix  
lectiones  
LIII  
25